Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Gloria et honore coronasti eum domine et constituisti eum super opera manuum tuarum domine Con Magna est gloria eius in salutari tuo gloria et magnum decorem impones super eum domine Lectio libri sapiencie cap 31

Beatus vir qui inuentus est sine macula: et qui post aurum non abiit nec speravit in pecunie thesauris. Quis est hic? Et laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita sua. Quis probatus est in illo et perfectus inventus est? Erit ei gloria eterna. Qui potuit transgredi et non est transgressus: facere mala et non fecit. Ideo stabilite sunt bona illius in domino: et eleemosinas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Secundum iohannem

In illo tempore. Dixit dominus ihesus discipulis suis. Ego sum vitis vos palmites. Qui manet in me et ego in eo: hic fert fructum multum. quia sine me nichil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes et arescet: et colligent eum et in ignem mittent et ardet. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint: quodcumque voluerits petetis et fiet vobis. In hoc clarificatus est pater meus: ut fructum plurimum afferatis: et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater: et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si precepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea: sicut et ego precepta patris mei seruauit et maneo eius dilectione. Hec locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit et gaudium vestrum impleatur. In illo tempore. Circuibat ihesus Secundum matheum

ciuitates omnes et castella: docens in synagogis eorum et predicans euangelium regni et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Videns autem turbas misertus est eis: quia erant vexati et iacentes sicut oues non

habentes pastorem